

† R. P. Felix Ruíz de Samaniego (1888–1937)

(Vice-Prov. de México)

Qui, sicut recens defunctus P. Samaniego, viginti sex vitae missionalis annis praedicavit missiones 215, renovationes 60, exercitiorum cursus 56, novendialia 25, tridua 10, Hebdomadas Maiorès 24, panegyricos 390, et 215 000 confessionum excepit, simul ubique spargens bonum odorem Christi, is sane dignus est, cuius vita in commentario nostro, breviter saltem, enarretur. Utimur necrologo Hispanico a R. P. Iesu Alvarez exarato et S. Salvatore Septembri 1937 typis consignato.

Defletus confrater, ortus in Hispania d. 26 Febr. 1888, in loco Payueta provinciae Alava, parentibus agricolis opulentis simulque avita fide divitibus, iam postridie ex aqua et Spiritu Sancto renatus est et sexennis ab Episcopo Victoriensi chrismate salutis confirmatus.

Die 7 Nov. 1899 puerulus undecim annorum, allectus ab Adm. R. P. Augustino Pedrosa, iuvenatum nostrum Espino ingressus est. « Ibi (sic postea scripsit) vixi meos innocentiae annos; ibi didici amare te, Virgo Beata ». In litteris quoque, ut erat mente acuta ac prodigiosa memoria praeditus, multum proficiebat.

Festo Nativitatis B. M. V. a. 1905 Alfonsianam vestem induit; eodem die a. 1906 vota nuncupavit et a. 1911 ab Episcopo Asturicensi sacerdotio auctus est. In prima Missa postridie pientissime celebrata acolythos habuit dilectum patrem et fratrem.

Absolutis studiis d. 19 Iul. 1912 suas ephemerides privatas scribere coepit, quae huius necrologi primarium fontem constituunt. Ab Augusto 1912 ad Maium 1913 ex Espinensi collegio primas suscipit expeditiones apostolicas, et post sex menses, facto interim Matriti secundo novitiatu, eodem revertitur. Die 10 Nov. 1919 Navam Regis petit Consultor Rectoris, verum iam d. 19 Iul. 1920 in actis suis diurnis ante octo annos inceptis scribere potest: « Magnus vitae meae dies: Recipio meae ad Mexicum destinationis notitiam ».

In patria ultimum sermonem praedicat in Medina del Campo festo magnae S. Teresiae. Americanum continentem appellit Neo-Eboraci d. 13 Novembris, servatus in ipso portu ex imminente naufragii periculo, orto duarum navium collisione, et d. 12 Decembris in Mexicana terra pedem ponit. Usque ad d. 5 Sept. 1921 in urbe principi México commoratur, usque ad d. 24 Oct. 1923 in Veracruz, exinde in Oaxaca.

Persecutio anni 1926 eum ad montes fugere cogit, sed d. 14 Mart. 1927 cum R. P. del Palacio in rempublicam Costa Rica mittitur ad novam sedem figendam in *Alajuela*. Ibi difficultates et incommoda novarum fundationum propria satis superque experitur. Idem ei accidit, ubi d. 2 Sept. 1929 pauperrimae domui *Comayagua* (Honduras) recens fundatae adscribitur, quae tamen residentia anno insequenti ad ecclesiam Virginis Perdolentis urbis *Tegucigalpa* transfertur. Ibi P. Samaniego, haud aliter atque in *Alajuela*, in construenda nova domo magnam habet partem.

Ultima vitae haud ita longae statio inde a nominationibus a. 1933 fuit *San Salvador*, caput reipublicae El Salvador. Ibi infatigabilis missionarius sueto zelo laborare pergebat, at paulatim morbus malignus, tuberculosis renalis, ei attulit febres, dolores, molestias sine numero. Sic ultimis mensibus vicies et amplius in nocte surgere ei necesse erat. Medico iubente mense Augusto, cum urethrenfraxis accessisset, ad nosocomium translatus est. Tamen sperabatur eum adhibitis certis curis adhuc multos annos vivere posse; cum ecce d. 30 Augusti h. 5 pom. nuntiatur boni Patris, iam sensibus destituti, condicionem esse gravissimam. Accurrunt Adm. R. P. Superior Peña et R. P. Minister Seiseddos, tunc ipsum a missionali expeditione reversi. P. Samaniego, interim denuo sui compos factus, ipse Viaticum petit. Postea etiam extremae unctionis sacramentum pie recipit, renovat magno fervore sua vota religionis et Benedictione Apostolica donatur. E corde oreque sponte prodeunt hi similesque actus: « Omnia ex amore tui, mi Deus! Mi Deus, da mihi patientiam! Virgo Maria, adiuva me! »

Hora 11,45 suspirat: « Date mihi communionem! » Pater assistens ait id iam factum esse eique suggerit pios actus: « Mi Deus, doleo de meis in te offensis. Mi Deus, te amo ex toto corde. Mater de Perpetuo Succursu, succurre mihi et consolare me ». Ipse moribundus addit alias ad Deiparam preces iaculatorias, quae tamen vix percipi possunt. Tum brachia ad caelum attollit, ac si quem sibi obviam factum salutaret; corpus in pace reclinat et cum angeli serenitate efflat animam. *Ecce, quomodo moritur iustus!*

Furus fuit admodum sollemne, interveniente etiam Exmo Archiepiscopo. Filii S. Dominici, quorum amicitia P. Samaniego in vita fruitus erat, ei mortuo loculum in suo sepulchro concesserunt. Ephemerides reipublicae humili religioso laudes haud communes tribuerunt, appellantes eum « astrum primae magnitudinis », « insignem apostolum caritatis Christi », « Redemptoristam sui abnegatione animarumque zelo eminentem » ...

Talis genuinus Redemptorista profecto confrater defunctus tuit. Cum quondam iuberetur denuo in aliam domum transmigrare, exclamavit: « Nil peto et nil recuso. Fiat de me Dei voluntas! » Flagrabat amore Domini nostri Iesu Christi, et Matri Christi dulcissimae devotissimus erat, ad eam in omni tempestate aut necessitate filiali fiducia recurrens, velut d. 8 Dec. 1926, cum profugus a persecutoribus Mexicanis Virgini Immaculatae denuo

se consecraret: « Ad te, Mater incomparabilis, venit filiorum ultimus, in his montibus exsul. Procul sum a fratribus..., procul a domo mea benedicta, hospitio exceptus ab hac familia christiana... Ecce, Mater, sum tristis et solacii expers, deflens meum infortunium et aliquem lucis radium efflagitans ». Ceterum iam a. 1915 his verbis caeli Reginam allocutus erat: « Transeo per diversa loca propagans tuam devotionem, serens eam in animis fidelium et ponens te pharum lucentem, qui gressus mortalium ad portum salutis feliciter deducat ».

Zelus animarum magis derelictarum in P. Samaniego semper refulsit, cum octennio vitae apostolicae in patria peractae tum vel magis altera periodo longiore apostolatus in America Centrali exantlati. Quo posteriore tempore interdum exclamabat: « Hic uno anno plus boni fit quam in Europa decem annis. Quod si omnes scirent, ut properarent ad salvandas has animas miseram! »

Ipsa teste interdum adeo occupatus erat, ut ne tempus quidem novi sermonis elucubrandi haberet. Accidit, quandoque, ut per octo dies ei dorso equi insidendum esset. Accidit ut post diem integrum in confessionali transactum etiam nocturno tempore usque ad diluculum continuaret hunc apostolatam perdifficilem...

Requiescat nunc in pace sempiterna hic genuinus operarius evangelicus, qui Instituto suo veram attulit gloriam!
